QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. MENSIS DECEMBRIS,

MAGISTRO NICOLAO ROLAND DOCTORE MEDICO MODERATORE.

658

An corpus facultatum origo?

HOMO ſublunarium finis ac norma ex anima immortali & corpore ad amuſſim temperato conſtans φύσει ϗ νόμῳ ad agendum impellitur, animâ eſt & viuit, animæ virtute bene eſt, bene viuit. Finis rerum omnium præſtantiſſimus. Nihil fruſtra, nihil vſquam temerè molitur prudens natura ἀπαίδευτος licet ϗ ȣ̓ μαθȣ̃σα. Facultatis nobiliſſimus finis actio, ſeu motus actiuus, cuius ratio ἐν τῷ γίνεσθαι vt & cuiuſcumque motus operis & actionis fons, & origo facultas ſiue δεκτικὴ δύναμις cuius ſubſtantia ἰδιοσυγκρασία eſt. A magnete ferrum trahi, bilem à rhabarbaro, ab agarico pituitam nemo non videt: effectus tamen hos in latentes & abditas vires quiſque refundit ac miratur. Quædam actiones ab ipſamet rei ſubſtantia ſunt; ſed caue ne altum ſapias. Sitne mirabilior natura dum per ſe ac ſolitaria quàm dum medijs facultatibus operatur incertum eſt, aut vtrumque verum: functiones quidem immutabili & neceſſaria cognatione facultatibus copulantur. Forma quanquam nihil patitur & materiam excludit, facta tamen conſpiratione corporis affectus perſentit, ſanando corpus ſanatur anima, ſi viſus iuuenis in oculo ſenis ponatur, videbit vt ſenex; neque ex quolibet ars aut natura quodlibet facit.

TOT actionum differentiæ ſunt quot facultatum διοικȣσῶν ἡμᾶς ſumma genera, quot in immenſa partium varietate principia. Sunt autem tres ἑτερογενεῖς, & ſingulæ à ſingulis fontibus in corpus vniuerſum diſtributæ facultates. Πρώτη ϗ κοινοτάτη naturalis eſt, Stoïcis φυσικὴ reliquarum baſis, quæ rurſus in nutricem abſolutè & ſemper neceſſariam, auctricem magna parte vitæ feriantem, & procreatricem nobiliſſimam diſtribuitur: priorum obiectum alimentum eſt, idem quod & generationis ποιητικόν, vitalis alia, quæ præſente duntaxat anima; non die poſt conceptionem 3. ſed perfecto animali cælitus adueniente, viget ad interitum. Animalis tertia in vtero otioſa ſemper, extra vterum ſæpe, corporeis quotquot illæ ſunt organis indigent, maximè vero proba temperie. Suntne diuinæ occultæue earum functiones quæ non cernuntur, nec in oculis ſunt omnium? non videtur, ventriculus vtriuſque appetentiæ ſedes triplici fibrarum genere pollens alimentum trahit, retinet, proprietate ſubſtantiæ in chylum vertit, quo non nutritur, ſed puro ſanguine. Sic elaboratus chylus vt moleſta ſarcina deturbatur in inteſtina, nec trahere, nec retinere quidquam valentia, coquant licet & expellant. Hinc breuis ad hepar via, vbi fit ſanguis ſingulis partibus inſtaurandis vnum & idoneum pabulū. Nutritionis comes accretio τȣ̃ ἐνυπάρχοντος μεγέθȣς ἐπίδοσις. In hac alimonia cunei, quod nutritur inſtar eſt ligni fiſſilis, & viuens idem manet vt Theſei nauis.

AD HOMINIS vt & perfectorum animalium generationem neceſſaria ſunt ſexuum diuerſitas, συζυγία, & permixtio prolificæ ab vtroque parente, etiam Ariſtoteli manantis materiæ, quæ ſingularum partium idæam ferat, neque ab vniuerſo corpore, ſed vi teſtium procreata fundatur in vterum, vbi generandi vis in ſemine quaſi ſopita loci proprietate ſuſcitatur, & à primo conceptionis die admirandum formationis opus aggreditur. Partes ſpermaticæ ſimul & ſemel adumbrantur, mox carnoſæ affinguntur, ſuo quæque tempore atque ordine abſoluendæ. Mares ferè trigeſimo, fœminæ quadrageſimo aut quadrageſimo ſecundo die delineātur, vtriſque alimentum εὐπρόσφυλον ſanguis maternus, non alterius conditionis aut virtutis ab eo quem ſolers & ſagax natura ſingulis menſibus non lunæ aut ſideris vllius agente influxu, ſed definita ſibi lege & nobis incognita per vterum expurgat: fœtus vbi grandior eſt, exitum quâ poteſt contentione quærit, & à matre ſtrenuè adiutus prodit in lucem vel menſe ſeptimo, qui primus humani partus terminus eſt, vel octauo qui peſſimus, vel nono & decimo, qui legitimus & naturalis, vel vndecimo, qui poſtremus. Porro quid cauſæ eſt cur parentibus ſimilis proles naſcatur? multa quidem, ſed imprimis ipſorum temperies.

ACTIO vitæ, quæ permanſio eſt τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς ἐν τῷ θερμῷ, aut caloris in humido radicali, pulſu & reſpiratione perficitur. Cor ἐμφύτȣ πυρὸς & naturæ humanæ domicilium, τῆς ζωῆς ϗ τῆς ξυῤῥοῆς principium & ſcaturigo. Viſcus nobiliſſimum & calidiſſimum morbis perinde ac cæteræ partes obnoxium, motu mouetur naturali eoque duplici, eius modum ſi quis diligentius animaduertat, diaſtole potiùs quàm ſyſtole percuti pectus, arterias à pulſatili cordis facultate moueri, & eodem motu eodémque tempore cieri conſtanter affirmabit. Vbi ſpiritus vitalis generatio niſi in ſiniſtro cordis ſpecu denſiore & nobiliore, in quem à pulmone per arteriam venoſam defertur aër, & à dextro per ſepti medij foueas & aperta quæ in eo ſunt foramina, iam præparatus ſanguis exudat? Reſpiratio ſanguineis tantùm & pulmone præditis animalibus neceſſaria, quam nutritionis cauſa fieri nihil vetat, partim animalis eſt, partim naturalis motus, inſpiratione & expiratione conſtans. Hæc thoracis contractione ad fuliginoſi recremēti vacuationem & vocis formandæ materiam ſuggerēdam, illa eiuſdem dilatatione quam fuga vacui pulmo ſequitur, ad caloris natiui αὔξησιν & conſeruationem, ad ſpirituum generationem, ad flabellum ac refrigerium cordis abſoluitur.

ACTIONVM animalium aliæ ſenſificæ, aliæ motrices, principes aliæ; omnes in cerebro fiunt, vel à cerebro, quod animæ eſſentiam continet, licet ſit μητρόπολις τȣ̃ ὑγρȣ̃ ϗ τȣ̃ κολλώδȣς, ſenſus quidem ac motus expers, vtriuſque tamen opifex & auctor. In eius ventriculis ſpiritus animalis officina. Ille per ſubſtantiam neruí mollem & poroſam cum facultate ad quamlibet corporis partem proximum edendæ functionis tum ſenſificæ, tum motricis inſtrumentum appellit, illæſo motu ſenſus perit, & contrà. Principes cerebri ſubſtantiâ tanquam vnicâ & ſtabili ſede firmantur: diuerſimodè tamen pro diuerſitate temperamenti fiunt. Αγχίνοια tenuem, εὐμάθεια mollem & humidam cerebri diatheſim arguit & ſequitur. Leues & inconſtantes calido, pertinaces & melancholici frigido ſunt & ſicco cerebro: medium qui tenuêre, beati, & iudicio pollent. Aliquáne rerum futurarum ex inſomnijs diuinatio? nulla, aut leuis, obſcura, infida cōiectura. Hinc forte ſanitatis aut morbi quædam auguria, hinc viſorum magna varietas pugnáque interdum, quibus anima ſobolem inanitionis aut repletionis corporis pathemata, ὑπερβολὴν τῆς ξυμφύτων ἢ μεταβολὴν τῶν ἀνθέων non incaſſum antè denunciat.

Ergo corpus facultatum origo. 105

Propugnabat Lutetiæ GVLIELMVS DV PRE' Normanus, Anno R.S.H. M.DC.XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. HERMANVS DE LAVNAY.
M. PHILIP. HARDVIN de S. Iacques.
M. ELIAS BEDA.

M. IOANNES DV CLEDAT.
M. NICOLAVS ROLAND Præſes.
M. CLAVDIVS QVIQVEBOEVF.

M. FRANCISCVS LE SAGE.
M. GEORGIVS CORNVTY.
M. GVLIELMVS DV VAL. P.R.